

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 99. (*Neovidensis* 1807. Nro. 100.)

Sermo Politicus.
De Otologia.

Elysiūm-Meum. - Die Martis 29. Dec. (*Neovid. Ven. II. Dec. 1807.*)

S e n t e n t i a .

Qui aures habet, audiat.

Doctor Namré.

Sum *Doctor Namré*, Magister Artium omnium & veterum & novarum, verbo alter *Trismegistus*, animus est Auditoribus meis, in quorum numero formosum sexum censi percipio, genuinos & limpidos reserare fontes, e quibus omnis sapientia manat. — Interea Collega meus, *Doctor Gall*, præcursor tantummodo meus fuerat, viamque solum paraverat, in qua mecum progressuri sunt; miseret me *Cel. Mercier*, dum opinatur: doctrinam difficilem nostram facili levique negotio pedibus suis contere se posse; fortassis metuit, Magistrum *Gall*, quem admodum nuper Parisios expedivi, certum organum cranii sui in quæstionem sumturum? tum auctor eorum: ut celebratum, quo dormiturus se tegit, pileum, ultra aures detrahat, ne eum contredare valeat. Manibus novam doctrinam cedere — pridem exoletum Singaricarum mulierum officium est; quis ita peregrinus & hospes, ut decantatas

Chyromantarum ignoret nœnias? defunctus Cœlega meus magnus *Helvetius*, digitorum extremitates pro nota characteristicâ hominis ab omnibus animalibus adoptavit, & hoc merito; ex hoc tamen non conclusit: moralem hominis characterem, ejuſque internum sensum explicari, & declarari posse.

Nasologia doctrina, pro mensura saltim servit corporearum magnitudinum; absque *aurilogia* Physica manca solum lacinia est, prætereaque nihil:

Arrige aures Pamphile!

Celebris olim dicebat Comicus *Terentius Afer*, quod Cubicularium haberet, ex *Pamphilia* oriundum, minoris Asiæ provincia, qui obtusum auditum habebat; hoc illi dicebat, & ego sæpe hæc verba Auditoribus meis repetendi honorem habeo.

Liceat prius quam opus meum auspicer, sequentem facere animadversionem:

Collega meus *Gall* mandatum meum violaverat, quod multas *Calvarias* secum circumtuleraſſet, quas, prout *Eamolpus* existimat, satius terræ mandasset in vicem sectionis, crucibus; quadraturis, & circino mensurandi, quod satis fortassis vita comite manibus contrectatæ sint; quam multo præstabilius fecisset, in vicem inanis operationis aurem *Albiboghoi*, quæ *Vansbekii* sub vitro & aqua forti asservatur, emisset; profecto in doctrina sua de organis magis profecisset, quippe Japonicus hic aulæ *Mareschallus*, fuit, quemadmodum *Eruditiss. Moscherosh.* idmodi homunciones in pœnali libro suo pag.

529. nuncupat *Susurro* (mala bestia) In Summa : *dolium*, ut dici solet, *pertundam*, — nostra doctrina neutiquam nova Inventio est, & hac de causa eam in omni humilitate Commilitonibus nostris communicare oportet.

Communis summæ artis nostræ fons delicata imago nostra est :

K a b b a l a d e n u d a t a

s e u

Doctrina Hebræorum.

quàm providi artium magistri nostri ne intereat Francofurti ad Mænum Anno 1677. in duobus Tomulis formæ quartalis typis mandarunt, redactor ejus ex verecundia latere voluit, in exemplari, quod prae manibus habeo, lego ;

Auctor est doctissimus *Knorrig*, pro cujus nihilominus genuino nomine tam parum, quam pro fide suorum documentorum cavendi animus est.

In hoc libro, Auditores benevoli ! germana invenitur Salamonis sapientia, ex qua logiæ nostræ, ceu singulares partes egrediuntur, e qua quivis nostri generis lector tantum haurire & excerpere potest, quanto opus habet.

Collega meus *Gall* in hac *Macroprosopeja* reperit suum *cranium*, *cerebrum suum*, *Meningem suam*. *Mercier pedi* - alius *manu* - alius *nasologiam* e. s. p. & ego *Namre*, *Aurilogiam*.

In symbolica *auris* constructione categoricus Imperativus subjacet.

Ad quod comprobandum : en aliquot fragmenta ! rem totam in prælectionibus meis apertam in lucem collocabo.

Dici solet: *Casta auris*, quantumvis, teste experientia, nonnulla matrona demonstrabili in contradictione cum aure versetur.

Bene vel male audire Romano Oratori tantumdem significat: quantum: bonæ vel malæ famæ esse.

In Galliis *apta auris* exprimitur: *de coeur qui ont des oreilles, & qui jugent bien les choses*. Quæ habent aures, & bene dijudicant res.

Sermo instituitur *de delicata aure*, in ratione ad Musicam & pœsim, ad oppositionem & contrarium exprimendum in loquendi modo; *dolent, prurunt mihi aures vel opples, verberas mihi aures* idem significat, quam: caput multifario sermone & loquacitate perturbas — dum de ostentis & auguriis agitur, *tinnitus aurium* pro prænunciorum impletum iri, pro sacra sympathia habetur; Causarum patroni clienti, larga crumena instructo *benevolæ aures* pollicentur, pecunia si deficiat, *aures non implere* dicitur, veram si summa votis & expectationi eorum respondeat, in causam attracto *aliquid in aures* disere gestiunt, audacter proloquere *svaviolæ tuæ in aurem*: amo, amo te, tum tota quanta *auris fiet*, etiamsi id veritati dissonum esset, quod insusurrabas.

Valeat quis apud principem gratia, tum *ejus aurem possidere* dicitur.

Dum hebetulus loquitur dici solet: *ferit aures*, dum contumeliæ in nos jaciuntur, his verbis nos solamur, *ingrediuntur in unam, egrediuntur ex altera aure*; de nugace juvene dici solet: *nondum intra aures siccus est*, de ira ardente vulgo dicitur; *tument ei aures*, dum quid illibenter intelligimus; *male nos audire* dicimus; & sic porro-

Celebris *Schwedenborg* hodie dum vivens cognomento *Stilling* Clavem puerilium arcanorum suorum laevae auri Sphingis imposuit; magnæ hic latet Sapientiae gradus, quam ii tantummodo intelligunt, qui in sacrarium Otologiae penetrarunt, At non reperitur Scriptum? ipsi sibi Doctores ponent, prout ipsis auris tinniet. Dum hoc argumentum explico: multum a me de nova nostra Germanica Philosophia proponetur, & ejus Doctores universi ad iudicium postulabuntur. Praesto mihi est in magno conclavi meo *auris duorum pedum* in altitudine, quae celebris artificis *Köck* opus est, quod ille sub directione Secreti Consilarii *Sömmering* in gypso efformavit. Si vita fructus fuero *Aurem* in altitudine *Aedium* extruendam curabo, in qua omnes partes magis erunt dignoscibiles, una, illum usum praestitura est, quod hospitium etiam suis cultoribus sit praestitura.

Haecenus celebris *Namré*— sed jam? *qui aures habet, audiat!* rem profecto notabilem, & gravis argumenti in Anglicano secreto conclavi evenisse oportuit. Galicae paginae, quae nunc nobis solae nuncia ex Anglia ferunt, sub dato *Parisii die 5. Dec.* memorant: Galicanarum Chartarum valorem notabiliter crescere, siquidem *Londino die 19. Nov.* Evangelus advenit: Anglicanum Ministerium mutatum esse.

Ephemerides Franciae (*Gazette de France*) *qui aures habet audiat!* de 5. hujus indicant in conclusione sequentia: —

Fama discurret: hodierno Vespere ab Anglia intermediationem Russiae acceptam esse.

Mediolano die 28. Nov. Nudius tertius quarta pomeridiana Sua Majestas, Imperator et Rex Bresciam adpulit, et e vestigio in foro Palatii sui omnes copias pedestres lustravit. Hesternò agminis Loricatorum lustrum peractum est, postmodum Sua Majestas adeuntes se omnes Dicasteriorum Officiales excepit, multoque sermone eos detinuit.

Universæ Gallicanae Copiae, quae hactenus in Istria et Venetis ditionibus stationem habebant, sedibus suis moventur, et citatis passibus in Dalmatiam contendunt, via militaris noctu, diuque armatis copiis, re poliorcetica, et comenatu cooperta est. — In Promontorio Istriae (Capo d'Istria) Generalis Dux *Fiorella* advenit, lustrandiscopiis occupatur et elargiendis necessariis ad profectioem militaribus jussibus.

Multae Gallicanae copiae continuo Romanum territorium petunt: Neapolitanum Regnum intendere videntur.

Die 21. hujus adpulit Bononiam per Ancenam primum Agmen Russicarum copiarum 1200 viris constans, cum apparatu tormentario. 23. mane per Ferrariam Paviam progredientur. Alterum Agmen die 24. advenit et die 27 et 30. duo adhuc agmina exspectabantur.

Parisiis die 5. Dec. Nuncius fert: Imperatorem 5. hujus Venetiis Mediolanum in reditu exspectatum esse. Impeatrix nudius tertius in hortu herbario morata, eaque occasione octoagenariam viduam celebris *Daubenton* invisere dignata.

Hujus Americo borealis legatio de eo certior facta est: Praefectum Algeritanum, quem ab aliquanto jam tempore, vela gallicana, et foederatorum, Italiaeque Gallis junctae honore prosequi renuit, cum Boreali quoque America subito et absque omni Clarigatione pacem rupisse.

Londino die 19. Nov. Nocte intra 10 et 11. tam vehemens furebat turbo, ut immensa copia navium perierit, praeter reliquas, et linealis Danica Waldemarus 98 tormentorum, et complures aliae vectoriae.

G e r m a n i a.

Aschaffenburgo de 7. Dec. Archi Episcopalis Generalis Vicariatus sub hodierno sequens Circulare; in conformitate Auspiciorum de 12. Nov. erec̄ti et dotati a Sua Celsitudine Seminarii ad S. Carolum Borromaeum, ad universum Dioecesanum Clerum expedivit, hujus tenoris.

„Universo Clero Dioecetano jacturam tam largiter dotati Seminarii Moguntini lugenti nuncium summopere solatio voluptatique esse debet: Suam Celsitudinem Principem Primatem, Summe Venerandum Archi Episcopum nostrum necessarium isthocadeo Institutum in residentiali sua urbe Aschaffenburgo sub nomine et patrocinio *S. Caroli Borromaei* denuo erexisse, atque per incorporationem abolitae Abbatae Schmerlenbathensis fundamentum praecipuum dotationi jecisse. Quam gravis argumenti Institutum hocce, et Ecclesiae, et reipublicae sit, anonyma illustriam virorum societas penitissime perspe-

xit, et sensum animi sui per id testabatur: quod ad primævam Instituti hujus instructionem 6000 Flor. liberali manu contulerit, et porro opem suam promiserit.“

„Cum proinde Celsitudo Sua fundamentalem lapidem ad hoc Institutum ex reditibus *mensæ Archiepiscopalis* suis secundum rationes, quæ de præsentibus obtinent, jecerit, Eadem vigore gravissimæ et clarissimæ Concilii Tridentini dispositionis Jure gauderet, Beneficiorum ecclesiasticorum et Decimarum possessoribus proportionata *subsidia*, quæ jam tempore existentis tam largiter dotati Seminarii Moguntini usu veniebant, injungendi; verum Eadem multo excellentiore in Clerum suæ Diœceseos opinione fertur, ut pro præsentibus, soli enixissimæ adeo necessarii hujus Instituti commendationi inhaerere velit.

„Quam Commendationem, dum Episcopalis Vicariatus, ut universo Clero Diœcesano cordi curæque sit, proponit, id adhuc summe lætum adjungit nuncium: memoratam Celsitudinem Seminario huic, et *Convidium* pro studiosa juventute secundum præscriptum ejusdem Synodi Trident. conjunxisse, et specialiter erexisse“

Cum vigore excelsarum Litterarum patentium S. Celsitud. Principis Primatis de dato Parisiis die 21. Nov. h. a. quævis hætenus obtinentia publici cursus Instituta abrogata habeantur, idcirco publicum redditur: quasvis alias in Officio olim Hasso Casselano deponi solitas litteras et fasciculos ab hodierno in Primatiali Postæ Officio solum deponendas esse. Diebus et horis adventus et abitus cursoris interea in eodem vigore, ac prius, permanentibus.